

Sol
5
1777
2c

FACVLTATIS MEDICAE
IN ACADEMIA WITTENBERGENSI
SENIOR ET H. T. DECANVS
GEORGIVS AVGVSTVS
LANGGVTH D
PATHOL. ET CHIRVRG. P. P. O
PANEKYRIN MEDICAM

A. D. XII. SEPTEMBRIS CCCCCCLXXVII

H. L. Q. C

HABENDAM

INDICIT

PRAEMISSA

DE

ORTV PISCIVM ABSQVE NVPTIIS
PVLCHRE FABVLARI

COMMENTATIONE POSTERIORE

RECOLATATIS MEDICAE
IN ACADEMIA LUTTNERGIANA
SALVATORI ET DEO DEDICAVIT
GEORGII AVGVSTI
TANEGAHT
EPIPHANIE ET CIRCEA
TANEGUYEN HERICAE
COPIA
МАСИМОВ
ТЮФЕКЧИ
АЗИМЯТ
ОУЛАІЛІСІДА МІДІАУ
ІЛІСІДА
СОНГАЛАІСІДА

Neminem facile futurum arbitramur, cui magnopere mi-
rum possit videri, OPPIANVM etiam, Poetam illum
doctissimum, in primisque in rerum naturalium cogni-
tione pulchre versatum, nobis nuper admodum pro meritis lau-
datum, ARISTOTELEM, tum quidem Philosophorum princi-
pem, ac vnicum fere sentiendi magistrum, in causa generan-
dorum animalium, piscium praesertim, nimis preesse sequutum
esse, solaque eius, vt videtur, auctoritate permotum, cum
causa illa genuina, quasi sola non sufficeret, aequiuocam et-
iam, quam dicunt, caussam, ab lege, quam Deus et natura
mundo dedit, omnino abhorrentem, coniunxisse. Exemplo
Apuorum, a Stagirita in scenam productarum, eodem modo
suam in rem Poëta noster vtitur, earundemque ortum natura-
lem post legitimas nuptias, ex ovo scilicet, et insolitus, legi-
busque naturae omnino non consentaneum, absque nuptiis,
ex arena, nimirum, limoque, sive maris spuma, breuiore li-
cet, aureo tamen carmine, ⁹⁾ canit. Quum non paucis, ore
suo loquens, balbutire possit videri, venustissimum eius inter-
pretem, LAVRENTIVM LIPPIV M, denuo, sed expeditius ve-
luti loquentem canentemque faciamus. Naturae ordinem re-
cte potiorem faciunt: Scilicet pisces,

*Se claudunt pelago; non vastum fluctuat aequor
Fundo; non venti surgunt, densaque procellae,
Quae tumidos frangant fluctus: nam saxa profunda
Terribiles arcent ventos, et marmoris aestum.*

a 2

Florida

⁹⁾ Halieutic. lib. I. v. 458 — 476. — et 762 — 797.



*Florida cum rident depicti tempora veris,
 Et mare pacatum tranquilla labitur unda,
 Tum passim saliunt pisces prope littora laeti.
 Vrbs veluti dilecta Diis, opibusque superba,
 Letiferas bello nubes obsesta relinquit,
 Quae fuerat longa belli sub mole grauata,
 Et tandem longa belli obfideione soluta,
 Continuo, a duri Martis sudore refecta,
 Et studio pacis gaudens, conuiuia laeta
 Disponit, tota celebrantur in urbe choreae;
 Sic pisces laeti duros posuere labores,
 Horrida veliferi fugientes littora ponti,
 Saltanti similes ludunt, in fluctibus alti,
 Vere novo duro Veneris vexantur asilo
 Pisces. cet.*

Quae postrema RITTERSHVSIVS, ill. OPPIANI editor, verbum de verbo reddens, significantius utique sic exprimit: Vere autem dulcis stimulus necessariae Veneris, et nuptiae pubescunt, et mutui amores.

Sed non nullis interiectis, necessariae illius Veneris mox obliuiscitur Poëta, ortumque Piscium absque nuptiis, hoc modo canit:

*Qui nec concubunt, nec foetus nixibus edunt,
 Per se nascuntur, foedo velut ostrea coeno.
 Est non distincto semper leuis ostrea sexu.
 Hos inter pisces nec mas, nec semina, nota.
 Aphritides, imbelli genus, non sanguine natae.
 Paruula sub nullo turba est generata parente.
 Quum fortis imbris densis ex rubibus haurit
 Mens Iouis, ex templo miscetur marmore pontus,*

Tolluntur

Tolluntur fluitus ceteri vertigine misti,
 Qui canas faciunt spumas; utque vnda tumescit,
 Ex non praeuisis collecta haec agmina taedis.
 Emergent pelago, subito nutrita videntur.
 Spuma nascuntur, de spuma nomina sumunt.
 Nascuntur multae, tumido cum fluitat aefluo
 Vnda refusa maris, commotaque flamme venti.
 Feruet et arenem cum coeno eruat arenam.
 Haec uno congesta loco miscetur, et uno
 Congeritur tumulo, cum strata aequaliter vnda
 Lataque tranquillo labuntur marmora cursu. cet.

Apuae igitur, vt reliqua animantia omnia, quae terram al-
 man, et sinus aeris, et mare sonorum, frequentant, ex ARIS-
 TOTELIS et OPPIANI sententia, gemino non fraudatae pa-
 rente, mutuis furentes amoribus, nuptias suo tempore cele-
 brant, coeunt, concipiunt, non sine labore pariunt, legem-
 que adeo, quam mundus accepit, necessaria stimulatae Venere,
 cum voluptate obseruant impletantque; contra ea autem ex are-
 na, limo, coenoque et spuma maris, sine parente, sine qua
 sexus distinctione, sine speranda prole et futuri populi incre-
 mento, sponte progenerantur, non, nisi forsan in nubibus
 natae altaeque, cumque densis imbris coelo delapsae ab alto.

Atque in hoc luxuriantis ingenii commentum, omnis fe-
 re, ad nostra prope tempora, posteritas, tantos habens auto-
 res, sine multa deliberatione consensit. RONDELETIVM, hoc
 loco, GESNERVM, ALDROVANDVM, qui pollicem hac in
 causa ARISTOTELI maxime et OPPIANO premunt, nō mi-
 nasse sufficiat. Ornat praesertim hunc locum primo laudatus
 loco RONDELETIVS;) utque plurima in mari sponte existe-
 re: sic ex Aphyis eam, quae ARISTOTELI Αφης, et Athe-

a 3

naco

• Aquatil. P. I. p. 6. 86. et 208.



naeo 'A^Qetris, dicatur, ex superfluitante in mari spuma, post
 multos imbr̄es, nasci contendit, ipsisque, praeter alia, ostracoderma maxime in societatem adiungit, subiecto hoc exemplo: Quod vero prima istorum origo ex materia putrescente
 fiat, certissimo indicio est id, quod in stagni nostri parte, quae
 est ad oppidum *Baleruc*, vernacula lingua nuncupatum, mul-
 torum et magnorum mytulorum feraci, accidisse vidimus.
 In hac, cum sepes, piscandi gratia dispositae, p̄ae vetustate
 computruissent, iis reuulsis locus mytulis caruit, quoad sepi-
 bus repositis et ligno tempore limum contrahente, rursus lo-
 cus mytulorum copia abundauit. Sed mytulis alios etiam pi-
 sces addit: Possum certe, inquit, quod vidi, verissime scribere;
 locus est inter Montempelium, Pezenatium et Betiras,
 collibus vndique septus; hunc fons nullus irrigat, nullus flu-
 uius, palus aut lacus, alluit; denique in illum, p̄aeter im-
 brem de coelo, nullus humor influit; quem forte pluviae,
 paucis ante diebus, quam illuc iter faceremus, compleuerant,
 natura piscibus exornauerat, Cyprinique inter alios plurimi ap-
 parebant. Alio itaque loco de *Apuia* addit: Apuam nostri,
 Aphyen Graeci, vocant, inquit *PLINIVS*, quoniam hic p̄isciculus
 e pluuiā nascitur. a Liguribus non nata appellatur. p̄isciculus
 est admodum exiguis, vix vñquam minimi digiti lon-
 gitudinem aequans, saepius candidus, aliquando rubescens, ni-
 gricantibus oculis. Neque gignit, neque gignitur, sed ex spu-
 ma et originem, et nomen, habet. e. q. r.

Pronus in hanc veterum sententiam, de causa et origine
 Apuarum aequiuoca, vbique *GESNERVS* videtur, hosque pi-
 sculos, Germanorum lingua, *Meer-Seelen* nominandos in-
 nuit, quod ex se et spuma maris oriuntur. Longius procedit
ALDROVANDVS, et, quasi nullus dubitandi locus amplius su-
 perficit, paullo arrogantiū decernit et cōstituit: Ego *OPPIANI*
 fenten-

c) de *Piscibus*, Libr. II. cap. 28.

sententiam probo, omniumque Apuarum originem ex putredine esse sentio, nullam ex semine; atque eas, quas aliorum piscium feturam vocat ARISTOTELES, sic a similitudine potius, quam cum iis habent, denominari, quam quod re vera ita esse Philosophus arbitratus sit. *Philosophus!* ecce Summum ARISTOTELEM, qui, tum temporis, nondum in profundum deciderat.

Mox autem, post illa caliginosa tempora, clarior litterarum lux paullatim exorta est, et latius laetiusque exsplendescere incepit, maxime, postquam CARTESIVS, de omnibus dubitandum, docuerat, excusoque feliciter seruili iugo vnam veritatem potius habendam, quam totum Peripatum, prae se ferre ausus erat. Id quod vel solo ex exemplo sobrius philosophantis WILLVGHBELI^{d)} hac etiam in parte, perspici intelligique poterit. An Pisces sponte nascantur, nec ne, difficilem quidem esse quaestione non dissimulat, commemoratoque RONDELETIO, ALBERTVM magnum, citante GESNERO, adhuc contraria sentientem, adducit, de generatione piscium spontanea haec habentem: Piscatores hoc genus piscium, Pungitios seu Spinachias dictos, sponte generari aiunt, et ex ipsis alias omnes; hac obseruatione industi, quod in lacunis nouis primo statim anno inueniantur, et postea sequentibus annis pisces alii diuersi, quamquam nulli fuerint immissi. His suam ipsius sententiam subiicit: Ego, quamvis animalia, saltem perfectiora, quales pisces sunt, sponte nasci, non libenter concedam, nondum tamen video, quid responderi possit argumento illi, sumto ex lacubus et stagnis inter montes, in quos aquae, praeter pluuias, nullae influunt, et tamen inueniuntur in illis pisces, et quidem sui generis, quales in tota circumiacente regione nullibi obseruantur. Vnde enim ortum habeant huius modi pisces? Num a prima rerum creatione speciem suam propagarunt

in

^{d)} Histor. Pisc. libr. I. p. 18. et libr. IV. p. 342.



in lacubus et stagnis istis? At, verisimile est, non nulla saltem ex stagnis, vel terrae motibus, vel aquarium eluuionibus, vel montium saxorumque ruina, angustis occlusis, vel alio quopiam accidente, vel denique hominum manu, nuper facta esse, nec a prima mundi origine extitisse. Qua sua in sententia LEEVWENHOEKII experimentis se pulchre confirmatum ingenuus profitetur: LEEVWENHOEKIVS ope suorum microscopiorum, nuperime detexit duplex genus animalculorum, in seminibus piscium, avium, insectorum, quadrupedum, hominumque, e quibus nutritis et augmentatis produci foetus contendit. Tantoque deinceps confidentius pronunciat: Dari in animalibus, saltem perfectioribus, ortum eiusmodi spontaneum, ego certe aegre inducor, vt credam; et iterum: Apuae, inquiunt, nec procreant, nec procreantur, sed sponte nascuntur sine coitu, ex imbris, spumescente mari; unde illa, etiam nomen, Αφεων, a spuma: aliis a limo putrescente nasci dicuntur: quid autem de hac spontanea earum origine fertur, nobis incertum et suspectum est.

Vnum adhuc idoneum auctorem ex recentissimis Ichthyologis, et quasi competentem iudicem, KLEINIVM nostrum, sanniora cum WILLVGHBEIO suo edictum, libereque, pro recuperata feliciter sentiendi libertate, edicentem, producimus, eius in testimonio iudicioque lubentissime acquieturi: *Aphyae*, scribit,⁴⁾ i. e. δυτφεῖς, quasi non natae; μηροφεῖς, nimis pusillo corpore, vel non omnino crescentes; Arist. ἀνευτεῖς καὶ ὄγονοι, quod non accrescant, nec procreent, sed sponte nascantur ex spuma, unde nomen Αφεῶν; ex qua ridicula suggestione veterum *Aphyae* Maenidum, Mullorun, cet. enatae.

Quot autem quibusue condendis, in abditis et occultis rerum naturalium, earumque insolitarum, causis explicandis, fabellis,

⁴⁾ *Histor. Pisc.* Miff. V. p. 28. Conf. Artic. Grau, in novo nostro *Naturae Theatro*, Vol. III. p. 509.

fabellis, causae istae aequiuocae, in primis que ortus piscium
 absque nuptiis pulchre fabularis, occasionem fecerint, plenius
 persequi, id quidem hoc loco, necessaria nostra breuitas, nobis
 non permittit. Neque vero, ut id negotii suscipiamus, magnopere
 necessarium videtur, praesertim, quum totam hanc qua-
 stionem *Ill. HOLLMANNVS¹⁾* tam eleganter, tam et concinne,
 dudum tractauerit, omnino expedierit, ut vix quidquam re-
 periendum sit, quod rationibus eius addi mereatur. Vbi, pro
 sua modestia, obiter tantum notauit, *GOD. POLYC. MULLE-*
RVM, non infimi sane subsellii Philosophum, cauillarum aequi-
 uocarum patrocinium sine successu suscepisse, suam sententiam
 sic subiicit, vt in eam nos facile trahat: Vel ex praemissis, in-
 quir, iam indicare facile licet, fieri nullo modo posse, ut arti-
 ficioissimae minimorum etiam animalculorum machinae, casu
 fortuito, aut, quod multis olim persuasum fuit, ex materia qua-
 dam putrida, adeoque et sine seminum quorundam praeex-
 istentia, oriri vnuquam vel possint, vel potuerint. Idem
 vero, a posteriori quoque, per experientiam, iam satis con-
 firmatum est, ita, ut nullum adhuc exemplum in contra-
 rium prostet. Neque enim vel ex hominum, animantium
 que aliorum, excrementis, vel ex carnibus etiam putrefac-
 tis, vel ex aliis eiusmodi corporibus, infecta procreantur,
 si a similiu animalculorum accessu eadem defendantur.
 Atque eti vel in ipsis hominibus, vel in aliis animantibus
 perfectioribus, viuentibus, vermes nonnunquam inueniantur,
 quorum semina vel extra hominem indicare, vel saltim,
 quomodo in illorum corpora peruerentur, inuenire, non
 licet; ob incomprehensibilem tamen seminum istorum sub-
 tillitatem, quae cum potulentis, et esculentis, insensibili
 quadam ratione, in corpus nostrum saepe se insinuant,

praeexi-

1) *Vniu. Philosoph.* Tom. II. p. 593.



praexistentiam illorum non statim negare licet. Certe, quae in plantarum variarum foliis, fructibus, et tumoribus, saepe deprehenduntur animalcula, a similiu eiusmodi animalculorum ouis, in iisdem depositis, originem suam trahere, iam recentiorum physicorum industria extra dubitationem omnem posuit. Reliqua hic locus non caput, ab omnibus harum rerum curiosis, cum subiecta nota doctissima, suo gratius ex fonte petenda.

Relinquamus igitur haec, et alia, opinionum commenta, tempori delenda, et ad institutum,

Viri nobilissimi atque doctissimi,
CAROLI LEBERECHT EHREGOTT GROESSELII,
Buchholzio-Hermunduri,
Medicinae Candidati Dignissimi,

more maiorum Lectoris humanissimi benevolentiae commendandum, progrediamur, qui vitae curriculum et studiorum rationes ipse suis verbis commemoret:

Ego CAROLVS LEBERECHT EHREGOTT GROESSEL natus
sum Buchholzii Hermundurorum anno huius seculi LI. Patre vtor vi-
ro probo atque honesto, quondam in ciuitate patria Chirurgo, iam vero
Dresdae apud milites, qui in armamentario versantur, Proto-Chirur-
go, matre vero ex gente BAVMANNIANA. Hi optimi parentes ad-
huc superstites omnem moverunt lapidem, vt in principiis religionis et
artium ingenuarum rite atque mature imbuuerer. Hinc factum est, vt
a pri-

a primis annis priuata institutione Rev. M. BECHERI, Pastoris apud
 ciues meos meritissimi, neque multo post Praenobilissimi KEMPII,
 Rectoris Lycei, quod Wolkensteinii est, Doctissimi, vterer. Tandem
 etiam Dresdae a Praenobilissimo M. QVELLIO, Rectori tunc tempo-
 ris Lycei Neopoleos meritissimo, elementaribus scientiis sum instrutus.
 Postquam vero arti chirurgicae me deuoueram, ab ipso patre optimo
 in ea sum initiatus atque edocetus. Coepi tunc frequentare collegia
 medico-anatomico-chirurgica, quae Dresdae in Theatro anatomico,
 et a Doctibus sic dicti Collegii sanitatis publice atque priuatim ha-
 bentur, eorumque exercitationibus assidue interfui. Tandem Witten-
 bergam accessi, et anno MDCCCLXXIV. ab Excell. D. ZEIHERO,
 tunc Rectori Magnifico, academicorum numero inferius sum. Ex eo
 tempore interfui praelctionibus Magnis. D. LANGGVTH, quas ille
 habuit in Therapiam generalem, medicinam clinicam et methodum do-
 ctrinae medicae uniuersae. Ex ore Magnis. BOEHMERI autem per-
 cepi Physiologiam, uniuersam Anatomię, Botanicen, et Materiam
 medicam. Tandem beneficia in me collata, eximiamque benevolentiam
 Senis summo pietatis studio deuenerandi, Illustris, inquam, TRILLERI
 nosfri, laudibus extollere debeo, ex cuius colloquio atque doctissimis
 sane scriptis multi iisque uberrimi ad mean quamcunque in arte me-
 dica notitiam augendam redundant fructus. Caeterum omnia, in
 quibus profeci, honesto et indefesso studio Experientissimi Domini
 NÜRNBERGERI, Med. D. et Acad. Bibliothecar. me debere profiteor,
 qui in omni arte medica satis fideliter me eruditus. Quum iam in eo
 constitutus sim, ut ad summos in Medicina honores modeste adspirare
 b 2
 mihi



*michi liceat, Lectorem Benevolum, qua possum, obseruantia rogo, ut
instituto meo benigne faveat.*

Dictus vero est huic Solemnitati ab Ordine nostro dies XII. Septembris, quo, Praefide, *Illustri TRILLERO* nostro, Collega, Fautore et Amico, Coniunctissimo, Disputationem Inauguralem, *de Odore Medici*, H. L. Q. C. defendendam in se suscipiet. VOS, igitur, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, PATRES CONSCRIPTI, OMNIVM ORDINVM FAVTORES ET AMICI, GENEROSISSIMI AC NOBILISSIMI CIVES AC COM-MILITONES, qua decet, obseruantia et humanitate rogamus, vt Panegyri huic nostrae, pro benevolentia et fauore vestro frequentes adesse velitis.

P. P. Dom. xv. p. F. Trin. A. S. R. CICICCLXXXVII

WITTENBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRIST. DÜRRTI ACAD. A TYPIS



ULB Halle
002 265 427

3



(F) 56.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

Farbkarte #13

FACVLTATIS MEDICAE

IN ACADEMIA WITTENBERGENSI

SENIOR ET H. T. DECANVS

GEORGIVS AVGVSTV
LANGGVTHD

PATHOL. ET CHIRVRG. P. P. O

PANEGERYN MEDICAM

A. D. XII. SEPTEMBRIS CCCCCCLXXVII

H. L. Q. C

HABENDAM

INDICIT

PRAEMISSA

DE

ORTV PISCIVM ABSQVE NVPTIIS
PVLCHRE FABVLARI

COMMENTATIONE POSTERIORE